



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XLV. De reliquiis & veneratione Sanctorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

vala , corporalia , pallæ Altaris & vestimenta sacra ministrorum munda & nitida conserventur. Prohibet insuper idem Pontifex ne suppellestilia profana tam Clericorum quam Laicorum in Eccle-

sis reponantur , nisi ob hostiles incursions aut incendia alias urgentes necessitates , quibus celsantibus , mox iterum inde referenda , ut Abb. hic n. 3.

## TITULUS XLV.

### De Reliquiis & veneratione Sanctorum.

*Quæst. 186. Quid sit Canonizatio Sanctorum, a quo facienda, & quæ ad eam legitime faciendam requirantur.*

1. **R**esp. ad primum : Sanctorum ( quo nomine vulgariter accepto veniunt , quotquot in gratia habituali existunt cum opinione aliorum de virtute & perfectione eorum singulari , propriè tamen ad præféri propostum non nisi illi qui publico Ecclesiæ iudicio relaci solenniter in Catalogum regnantium cum Christo in cœlis , cum declaratione , ut ab omnibus Christi fidelibus pro talibus habeantur. Ita ferè Fagn. in c. 1. b. t. n. 2. ) canonizatio est ipsa hac solennis & canonice facta per Pontificem relatio alicujus inter cœlites seu authoritativa definitio , aliquem existere in celis , & pro tali habendum cultuque publico ab omnibus Christi fidelibus venerandum. Ac proinde differt à beatificatione , quod in ea non præcipiatur & statuatur , sed solum permittatur à Pontifice , ut quis cultu aliquo per illum determinato v. g. celebratione Missæ , recitatione officii divini , & quidem non à toto mundo Christiano , sed solum à certo v. g. regno , provincia , loco , religione , coli valeat ; quamvis ceteroquin pro beato & in celis existente haberi & credi debeat.

2. Resp. Ad secundum canonizare & beatificare solenniter solum est Papa. Gl. in c. unic. b. t. in 6. V. Sedis Apostolicae. Abb. inc. 1. b. t. ibidem. Innoc. n. 2. Fagn. n. 20. Barbos. n. 3. Azor. p. 2. L. §. c 6. q. 1. Pirk. h. t. n. 3. Reiffenst. n. 6. cum communi , ita ut nullus Episcopus etiam pro diœcesi nullum possit canonizare , nec Concilio generali independenter ab autoritate summi Pontificis competat ea potestas , ut Barbos. Pirk. Reiffenst. l. cit. Idque ob eam rationem desumptam ferè ex Host. in cit. c. 1. nimur , quod causæ majores ad Sedem Apostolicam referenda , ejusdemque examini & decisioni resolvendæ juxta c. 3. de Bapt. & c. 4. de off. legat. inter tales autem causas vel maxime sit canonizatio , utpote in qua agitur de miraculis dijudicandis & approbandis , deque manifestando sine periculo errandi ( cui alijs aliquorum Episcoporum simplicitas præbere poterat occasionem ) toti orbi alicujus sanctitatem , eumque proponendo publico cultui , & sic statuendo in rebus fidei. Quæ omnia superant potestatem Episcopi , Legati Apostolici & Concilii generalis. Quod verò autoritas Papæ circa hæc sit infallibilis docent Fagn. in c. venerabilis de testibus. à n. 10. Sylv. V. canonizatio. n. 2. Covar. var. resolut. l. 1. c. 10. n. 3. cum D. Th. quodlib. 9. a. fin. & communaliorum contra Gl. in c. unic. b. t. in 6. V. Sedis Apostolicae. Addunt ibidem , quod , eti de fide non esset Papam errare non posse in canonizatione , illius tamen contrarium dicere esset temerarium , scan-

dalofum , hæresi proximum & candem sapiens. Quin imò hanc infallibilem esse de fide , docent ab solutè Castrop. tr. 4. d. 1. p. 5. §. 5. n. 2. & alii apud Fagn. l. c. de quo videndi Controversiar. De cætero his non obstat , quod antiquitus canonizatio absque solennitate illa , qua hodie datum fit , censebatur fieri communis Episcoporum & populum consensu , approbatione Papæ & totius Ecclesiæ , habente vim tacita canonizationis , ut Bellarm. de Sanctorum beatitud. l. 1. c. 8. ut Laym. l. 4. nr. 7. c. 5. n. 1. quia & Episcopi poterant pro sua diœcesi canonizare aliquem , vel potius reddere testimoniū , non tamen infallibile de ejus sanctitate , eumque colim mandare , vel potius solum permittere ; cum hæc sublata modò sint legitima auctoritate ob rationes prædictas , & quia Episcopi non semper in hoc satis cautæ & providè se gererent , possent que hodie datum etiam esse sub obligatione credendi , quæ olim talia non erant.

3. Resp. Ad tertium: primò canonizatio , vel etiam beatificatio , ut legitimè fiat , duo copulativè requiruntur , ita ut unum sine altero non sufficiat , nimur primò , ut constet de canonizandi excellentiæ vita sanctimonia ac virtutum magnarum exemplis. Fagn. in c. s. b. t. n. 1. Innoc. n. 1. Jo-and. n. 4. Anchor. n. 5. cum communi & constat ex Bulla Greg. IX. edita pro canonizatio S. Antonii de Padua. 1232. 1. Jun. incipiente : cum dicat Dominus in Bullar. 4. busus Pontificis const. Illa verò vita excellens probitas , eti præcipuum sit , ob quod quis dignus veneratione & cultu solaque sufficiat , ut quis sanctus Deoque acceptus sit , non tamen sufficit ad hoc , ut quis sanctus habeatur , & ut talis proponatur hominibus in Ecclesia militante , sed requiritur insuper ut accedat testimonium seu indicium , unde elucescat illa meritorum canonizandi apud DEUM excellentia , quale esse censuit & voluit Ecclesia miracula superantia vires naturæ ab eo edita , non tantum in vita , sed & post mortem ad ejus intercessionem facta à DEO juxta c. venerabilis. § 2. de testibus. Eti nee ea sola sufficiant ad canonizandum , cum etiam patruntur à reprobis & peccatoribus , ut constat ex c. teneamus 1. q. 1. & ibidem. Gl. V. magi. luculentor demonstrat exemplo magorum Pharaonis. Iuda aliorumque qui olim in judicio dicti: nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus , & docet D. Th. 2. 2. q. 17. a. 1. de miraculis parrandis ab Anti-Christo.

4. Resp. ad tertium secundò : ut omnis locus & via precludatur deceptioni & erroris circa verumque requiritum , nimur vitam , mores , virtutes , & miracula canonizandi necesse est fieri exactissimam , strictissimam , cautissimamque inquisitionem , de cuius instituendæ praxi & ceremoniis integrum Tomum exactè conscriptis Matha de canonizatione SS. ad quem remittitur Lector. Non solet regulariter hæc inquisitio seu tracta-

tractatus super canonizatione fieri à s. sede nisi elapsis 40. annis à morte canonizandi & ipsa actualis canonizatio non nisi post centum annos, ut Reiffenst. b.t.n. 13. ex Landuscha in *inheat. regular.v. beatificatio n. 1.* quamvis olim quandoque & hodie ex speciali dispensatione summi Pontificis hoc tempus non obseretur. Quin & Episcopi etiam ante 40. annos interim instituere possint processum & inquisitionem, sive judicialem, sive extrajudicialem super miraculis, fama sanctitatis, vita & singularibus virtutibus alicujus, idque ne alias per mortem testium perceant necessariae probationes, & ut s. sacra sedes suo tempore facilius informari queat. Barb. *alleg. 97. n. 5.* Reiffenst. n. 5. quamvis autem istiusmodi processus ab Episcopis eorumque vicariis vel deputatis de jure servatis servandis sint legitti- mi & validi, possitque ex illis Pontifex procedere ad canonizationem; de stylo curia soleat tamen Pontifex de novò instituere novum processum vel saltem strictè examinare processus ab Episcopis factos. De cætero in canonizatione martyrum fieri non solet magna inquisitio de probitate vitæ, aut etiam de miraculis tempore vita ab iis patratis, sed de factis post mortem illorum, ac præcipue de causa, ob quam passi, nimurum num propter fidem, legem Dei vel virtutem aliquam. ut Hof. *in c. 1. h.c. n. 3.* Fagn. *in c. venerabilis de testib. n. 16.*

*Quæst. 987. Qualiter ad canonizationem requirantur vera miracula, & quænam sint talia?*

R Esp. Requiri miracula vera indubitatum est, miraculum autem verum propriè ac strictè est & dicitur, quod sit præter ordinem totius naturæ creata, ut cum D. Thom. p. 1. q. 110. a. 4. & q. 114. a. 4. AA. communiter, quale solus Deus propriè ac physicè facere potest juxta illud *Psal. 17. qui facit mirabilia solus*, cùm si illud facere possent angeli, demones, aut sancti, non esset supra omnem naturam creatam, quare dum passim sancti dicuntur facere miracula, id intelligendum, non quòd ea ab illis sicut physicè, sed moraliter tantum, in quantum nimurum Deus ad preces eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorumdem miracula patret; Ea vero, quæ sunt aut exhibentur per magos alios malos homines ope dæmonis miracula non sunt, sed vel mera illusiones, quibus phantasiam hominum ita decipiunt, ut videantur eis hoc vel illud adesse aut contingere; cùm tamen à parte rei nihil veri sit: vel sunt effectus quidam re vera existentes & verè mirabiles ope dæmonis activa passim applicantis, aut alijs virtute sua naturali agentis producunt; quia facultatem & captum humanum excedunt, indeque admiratione causant, vocantur in sensu largo miracula. Porro ut miraculum verum habeatur ac ita deferviat canonizationi juxta cit. Gl. receptam in c. unic. h.c. in 6. v. sedis apostolica debet apparere, illud à Deo, & non ex arte vel ope dæmonis factum, dum nimurum appetit factum in confirmationem fidei (qualiter etiam fieri potest per peccatorem, ut patet in *Juda proditore*, non scimus ac alii Apostoli faciente mira ad excitandam fidem in Christum, quam prædicabat) vel in testimonium sanctitatis alicujus, cuius imitationem vel cultum Deus intendit promovere. Qualiter non nisi per eos, qui coram Deo specialibusque meritis conspicui, fieri potest, ubi vero fieret tale quid miri ex alio fine inutili, manifestum esset fieri à dæmoni vel alias latere fraudem. Ac denique de his omnibus exactissimè & rigidissimè inquirendum & recognoscendum, præfertim quòd ab testes idoneos juratos,

R. P. Lenz, *Jur. Can. Lib. III.*

non singulares (nisi in certis casibus de quibus vi- deri potest Reiffenst. b.t.n. 43.) deponentes ex scientia hauta, per sensus proprios &c. Arg. c. *venerabilis de testibus*. Fierique potest hac recognitio miraculorum non tantum jam canonizatorum sed etiam canonizandorum juxta Trid. Ses. 25. de invocat. SS. juncta declarat. cog. Concil. fieri ab Episcopis teste Barbos. de off. & poreft. Episc. alleg. 97. num. 3. Fagn. *in c. cum ex eo. b. t.n. 7.* (non tamen ab inferioribus Episcopo, et si habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Barb.) adhibitis etiam Theologis aliisque viris probis ac prudentibus. Antequam tamen miracula nondū canonizandorum divulgent Episcopi, totum negotium ad sedem Apostolicam transmittere debent, ab eaque responsum exspectare juxta const. Urban. VIII. 39. in Bullar. Ipsum vero ordinem procedendi in canonizatione vide apud Hofst. *in c. 1. h.c. col. 1. & 2.*

*Quæst. 988. An & qualiter colere & invocare licet sanctos necdum canonizatos aut beatificatos?*

R Esp. Defunctos cum publica etiam fama insignis sanctitatis vel etiam miraculorum ab iis vivis aut post mortem editorum nondū tamen à sede Apostolica canonizatos cultu publico (qualis dicitur non ex eo, quod in loco publico seu coram aliis, sed quod fiat nomine totius Ecclesiæ, seu tanquam ab ea institutus, et si fiat in loco privato extra conspectum populi, ut Sanch. *in Decal. c. 43. n. 3.* Bonac. Tom. 2. d. 3. p. 2. n. 2. Reiffenst. b.t. n. 16.) non licet venerari. v.g. proposita eorum imagine in Ecclesiæ, altarib⁹, commemoratione de iis facta in sacrifici, missa vel officio divino, tam in choro, quam extra illum, invocatione in lytaniis &c. ut AA. mox citandi juxta c. fin. b. t. licitum tamen est, pium ac utile tales prosequi cultu devoto neque privato v. g. sanctum & beatum nominando & ut talem invocando ejus effigiem & reliquias in cubiculo aut etiam oratorio affirmando ac venerando in honorem illius, aliasque mortifications subeundo, etiam aliis audiendibus & videntibus. Arg. cit. c. finali. à sensu contrario Gl. *in c. unic. h.c. in 6. v. sedis Butrio in cit. fin. n. 6.* Azor. p. 1. l. 9. c. & q. 8. in fine. Bellarm. de sanctis c. 10. Sanch. *l.c. n. 3. & seq.* Wiestn. b.c. n. 7. Reiffenst. b.t. à n. 18. per extensum referens desuper const. Urban. VIII. *Sanctissimus 39. in Bullar.* ac ab eodem Papa desuper factam declarationem, quæ utiliter leges, in qua etiam inter reliqua, quod nichilominus non licet eorum imagines cum aureolis aut radiis depictas habere etiam in privato & occulto. Ut & quod nondū beatificatorum miracula, revelationes, beneficia eorum intercessione impetrata licitum non sit typis vulgare, nisi prius ab ordinario loci recognita approbentur. Reiffenst. n. 22. & 23.

*Quæst. 989. nomine reliquiarum sanctorum quæ veniant, an & qualiter veneranda, & a quo approbanda?*

1. R Esp. Ad primum: nomine earum veniunt corpora eorum partes, ossa, capilli, pulveres, cineres, vestes, vela, Panni, etiam quibus post mortem involuta, scripture, instrumenta devotionis, mortificationis, quibus usi, & passionis, quibus cruciati. Azor. l.c. Reiffenst. b.t. n. 24. juxta universalem Ecclesiæ sensum & praxim.

2. Resp. Ad secundum: reliquia sancti aut beatificati de novò inventæ non nisi prius cognitæ & legi-

legitimè approbatæ coli possunt cultu publico, & publica veneratio exponi, ut patet ex c. 2. b. t. uti & ex Trid. fesf. 25. de invocat. SS. reliquiæ tamen quæcumque tam antiquæ, quam de novò inventæ, tam canonizati, quam non canonizati, sed solum defuncti cum fama constante sanctitatis, modò constet, quod illius sint, etiam à nemine approbatæ, coli possunt cultu privato non secus ac ipsi sancti eodemque, quo illi modo. Fagn. in cit. c. 2. n. 11. & 12. & ibid. Host. Jo- and. Butrio aliquie communiter. Arg. ejusdem c. 2.

3. Resp. Ad tertium ubi reliquias antiquas alicius sanceti antiquitus approbatæ constat ex scriptura vel instrumento authenticò unà cum iis reperto, vel aliunde certo nullâ alia approbatione aut etiam auctoritate sedis Apostolicæ agent ut publicæ venerationi exponantur; secus si de hoc esset dubium, & hoc non tolleretur. Wiestn. b. t. n. 13. reliquias vero alicius defuncti cum fama sanctitatis, necdum canonizati aut beatificati, nemo præter sumnum Pontificem in ordine ad cultum publicum approbare potest. Per c. 2. b. t. & ibi DD. communiter. Ut ait Reiffenst. b. t. n. 28. non obstante Cone. Trid. l. c. vi cuius non amplius reservatam esse Papæ approbationem harum reliquiarum, sed permittam Episcopis, dum ibi videtur iis permissa licentia universalis approbandi reliquias quasunque noviter inventas, & sic correctum per hoc ius antiquum. Nam Trid. intelligendum de reliquiis jam canonizati de novo inventis C. vero 2. de reliquiis alicius defuncti cum fama sanctitatis necdum canonizati, & sic optimè evitari correctionem juri, ea que inter se concordari probat Fagn. in cit. c. 2. n. 5. & cui explicatione & concordantia inhærent Pirth. b. t. n. 11. Wiestn. n. 14. Reiffenst. l. c. confirmant que id ipsum ex eo, quod si Episcopus quoque recognoscere & approbare posset reliquias defuncti necdum canonizati, posset etiam eas publicæ venerationi exponere, & sic indirecte eum canonizare in sua diœcesi, liceretque cuivis cum sola hac licentia illum publico cultu venerari, quod est contra unanimem consensum DD. neque his contraria S. Cong. Cardin. dum teste Barbos. in c. 2. b. t. n. 4. declarat citatum concilii Trid. locum intelligendum esse tam de miraculis necdum canonizatorum quam canonizatorum approbandis ab Episcopo: siquidem dispar est ratio inter miracula & reliquias necdum canonizati; cum Episcopus etiam de jure communis possit cognoscere de miraculis & vita canonizandi alicius. Unde etiam Trid. intelligendum est generaliter de novis miraculis tam canonizandi quam canonizati, non sequeretur illa jurium correctio, aut illum aliud absurdum. Ita AA. cit. dixi tamen; in ordine ad cultum publicum. Quia simpliciter judicare quod haec sint reliquiae hujus vel illius cum fama sanctitatis defuncti, nulla ratione nulloque jure prohibitum reperiatur Episcopis Reiffenst. cit. n. 28. in fine.

*Quæst. 990. An reliquiae vendi, afferri, exponi extra capsas, aut alio trans- ferri possint?*

1. Resp. Ad p. inum: vendere non licet reliquias, ut constat ex c. 2. b. t. & L. nemo, c. de SS. Ecclesiæ tum quia res sacrae, adeoque in nullius dominio sunt, nec estimationem recipiunt Arg. l. 9. ff. de rer. divisi. tum quia spirituali annexa. Unde & eas vendere est Simoniacum Arg. c. querelam. de simon. c. de jure. de jure pat. non tamen vetitum eas vendere ratione materiae, ex qua conficiuntur seu cui commiscentur con- tusa, aut earum pulvres. Redacti in agnos Dei, vel

etiam ratione impensarum in eis conficiendis vel deportandis factarum uti & ratione capsarum aliorumque pretiosorum involucrorum earundem. Sanch. l. 2. mor. c. 43. n. 29. Pirth. b. t. n. 10.

2. Resp. Ad secundum: neque afferri possunt etiam devotionis gratia sine sacrilegio, nisi essent conditæ in locis infidelium, neque sine injurya Ecclesiarum, in quibus perpetuae sepulturae seu assertiones sunt traditæ, aut etiam ipsarum reliquiarum; devo- tio autem exercenda est sine injurya, ita cum Turrec. in can. corpora dist. 1. de consecrat. Pirth. b. t. n. 12. in fine. Videri etiam possunt Azor. p. 1. l. 9. c. 8. Sanch. l. c. Fagn. in c. ult. b. t.

3. Resp. Ad tertium: ostendit & exponi extra capsam seu locum, in quo conditæ prohibentur cit. 2. b. t. nisi quæ, ut cum Host. ibidem V. extra capsam. & Abb. n. 2. Pirth. n. 10. Ex speciali Dei beneficio sunt præservatae corruptione. Et præcipue ob quæcum, ut majores fiant oblationes. Host. l. c. v. exponantur, quamvis putet Sanch. l. c. n. 22. non esse probitatum cit. c. ostensionem reliquiarum, licet fiat principaliter ad acquirendas liberaliores oblationes & elemosynas, modo non deducantur in pauperum aut principaliiter intendantur tanquam præmium ostensionis.

4. Resp. Ad quartum: corpora & reliquias sanctorum transferri posse ab una Ecclesia ad aliam ab Episcopo sine licentia Papæ, probabilius contra Gl. in can. corpora. 37. de consecrat. dist. 1. v. Principis. Host. in c. 2. b. t. v. nec exponantur. Jo-and. ibid. n. 2. & alios quosdam docent Angel. v. reliquian. 1. Sylv. v. reliquiaq. 3. Sanch. l. c. n. 12. Fagn. in cit. c. 2. n. 15. Pirth. b. t. n. 12. Reiffenst. b. t. n. 32. Wiestn. n. 16. ratio, quam irrefragabilem dicit Fagn. ab eo cumque fecutis Pirth. & Reiffenst. sumitur ex regula, quod Episcopus possit in sua Diœcesi, quæcumque conditor canonis sibi non reservavit, juxta c. super. 29. de sent. excomm. & ibi Gl. v. non retinuit. Papa autem nullibi hanc translationem suæ potestati seu authoritati reservaverit. Verum, cum velipse Fagn. in c. perniciosem. de off. Jud. Ordin. à n. 45. arguit falsitatem hanc rationem teste Wiestn. is hanc rationem meliorem censem, nimimum, quod translatio illa non sit de majoribus causis Ecclesiæ, ut Episcopis, in partem sollicitudinis vocatis non concessa à Papa censeatur. Quin est sibi suffragari in hoc vult ipsum Can. corpora. Dum ibi nomine Principis ait, non venire Papam aliquam potestatem ecclesiasticam (ut alia fentit Gl. ibid) sed potestatem secularis. V. g. Regis aut imperatoris, cuius non quidem auctoritate justi, cum actus translationis sit actus spiritualis aut rei spirituali, de quo auctoritatè disponere nequit secularis, annexus, sed solum consilio fieri potest hæc translatio, præsertim, dum dono vel cooperatione talis Principis Ecclesiæ reliquiae obvenient. Ita ille probabiliter. de cetero, quod minus hæc translatio fieri non possit sine licentia sedis Apostolicæ non obstat, quid in concilio Aquiliensi. 1. tit. de reliquiis SS. dicatur, reliquias SS. transferri sine sedis Apostolicæ licentia; non posse cum hoc concilium fuerit solum provinciale, nec confirmatum à Papa, adeoque extra provinciam habere nequeat vim canonis, ut Pirth. n. 12. in fine cum Fagn. n. 33. Requiritur autem præter licentiam Episcopi ad validam talem translationem justa causa; cum sit species quedam alienationis; & præter hanc etiam consensus capitulicathedralis sive Clericorum majoris Ecclesiæ simul congregatorum, quod aliquando vocetur concilium ut in can. placuit. 12. quæst. 2. juncta Gl. V. Concilio utpote cum quo consensu omnes causæ graves (qua-

lis est utique dicta translatio, per quam sancti alienigenae corpus aut notabiles reliquiae veluti magnus thesaurus spectantes ad unam Ecclesiam alienantur ab ea & transcribuntur alteri.) necesse habent expediti juxta cap. 1. & forum tit. de his, que fiunt a prelatis. An vero præter consensum Capituli Ca-

thedralis requiratur consensus Abbatis & conventus aut aliorum Clericorum, dum corpus transferendum spectet ad monasterium aut aliam Ecclesiam collegiatam, merito dubitatur, & videtur affirmativa respondendum, cum in tali alienatione immediata agatur de re propria eidem afferenda.

**TITULUS XLVI.***De observatione jejuniorum.*

**C**um pauca, quæ in jure canonico h. t. tractantur, ex consuetudine nota sint, ut quod si festum nativitatis Domini, assumptionis B. V. Apostolorum incidat in feriam secundam, Vigilia & jejuniū celebranda sabbatho præcedenti c. 1. h. t. quod omnibus vigiliis Apostolorum, præterquam S. Joannis Evangelista & SS. Philippi & Jacobi sit jejunandum, quodque necessi-

tas & infirmitas excusat à jejunio c. 2. h. t. quod licet vesci carnibus omnibus qui non sunt adstricti voto vel regulari observantia ad jejunium feria sexta, si in eam incidat festum Nativitatis Christi c. 3. h. t. &c. ea vero, quæ occasione hac introducuntur hic ab aliquibus Canonistis, & in specie Wiestn. quia propria sunt Casitis, à quibus fuscè exponuntur, more aliorum Canonistarū, illis ea consultò relinquimus.

**TITULUS XLVII.***De purificatione post partum.*

**Q**uest. 991. An & quanto tempore pueris post partum abstinentiam ab ingressu templi, & quæ obligatio ante ingressum petendi benedictionem à parocho, idemque offerendi pro ea a liquido?

1. **R**esp. Ad primam partem hujus questio- nis, quæ unica est *bijustit.* præceptum, quo in lege veteri Levitici 12. arceban- tur ab ingressu templi per 40. dies, si masculum, per 80. si foemellam peperissent modò sublatum est; unde, si velint & vires patientur, mox à partu illis acturis gratias Deo, licebit templo ingredi. Si tamen ex veneratione & decentia seu laudabili reverendia aliqua, ab hoc ingressu absti- nere velint, per septimanam aliquot, ut ferè habet moderna consuetudo, nequaquam id illis denegandum. Cum etiā lex illa vetus mortua modò sit, non tamen redditia mortifera, ita ut observantia illius modò inducat peccatum, ut accidit quibusdam legi- bus ceremonialibus veteris testamenti, nimurum quæ principaliter ordinata ad præfiguranda myste-

ria Messia seu Christi futura, quæ quia jam comple- ta, leges tales repugnant veritati fidei.

2. **R**esp. Ad alteram partem, tameus in jure non exstet præceptum perendi à parocho proprio ante hanc ingressione ad introductionem earum benedictionem offerendique pro ea eidem honorarium aliquod, utriusque tamen ubique ferè viget consuetudo, & quidem in locis pluribus continens obli- gationem, pro ut in simili dici solet de oblationibus, ad quas percipiendas à patrochanis intentionem fundatum habet ut Abb. in c. 9. de hisque sum C. præ- lat. n. 2. Barb. de off. paroch. c. 24. n. 22. & numeratur inter jura parochialia juxta declarationem S. congreg. Cardinal. interpret. Concilii Trid. de an. 1662. 18. Novembr. Ita Reiffenst. ad h. t. addens propterea nullatenus competere illam benedictionem regularibus, Lauret. de Franchis. de controv. in- ter Episc. & regul. p. 2. q. 69. n. 1. quanvis hic in fine hujus num. addat, in hoc præcipuum habendam rationem consuetudinis legitimè præscriptæ, quæ se- clula purificationem etiam à regularibus admitti posse, præsertim, cum ab iis etiam recipi possint oblationes, quæ in eorum Ecclesiis fiunt, quod ipsum confirmat. Wiestn. h. t. n. 6. § 7.

**TITULUS XLVIII.***De Ecclesiis ædificandis & reparandis.***CAPUT I.***De ædificandis Ecclesiis parochialibus aliisque & monasteriis.*

**Q**uest. 992. Ecclesiæ materiales quo- plures generis.

**R**esp. Ecclesiæ materiales (idest, templo seu aedes publica divino cultui deputata, in quibus fideles ad administranda & perci- pienda Sacra menta, sacrificium missæ of-

fendendum & audiendum convenienter) aliae dicuntur Basilicæ, quales olim dicebantur Ecclesiæ non- dum consecratae. Abb. in rub. de consecrat. Eccles. n. 2. hodie majores & principaliores à Regibus constructæ, ad quos Principes divinorum officiorum gratiæ convenire conveverunt. Barbos. Jur. Eccles.